ENGELBERTUS ADMONTENSIS
Klosterneuburg, 1384 Seite 193r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=237
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



dr. j. thy. iiij. Exerce te ipsum ad pietatem. Corporalis
enim exercitatio ad modicum utilis est. pietas autem ad omnia
valet. Et ubi dicit glossa quod ista pietas consistit in cultu
dei et operibus misericordie quia omnis summa christiane discipline in
hiis duobus scilicet in pietate et misericordia a deo consistit quod quicumque
ista duo sequens in lubricum carnis patiatur vapulabit
quidem non tamen peribit. Ista igitur obedientia in mandatorum
divinorum que consistit in castigatione corporis regenda et sup-
plenda per pietatem mentis in tempore tribulationis invenitur vi cum
dicit. Mandata tua meditatio mea est. Orationem vero cordis
dirigit fides et pietas fidei divinarum promissionum super
consolationibus et revelationibus tribulationum. de qua pietate
fidei statim subiungit dicens. Equitas testimonio tuo meditatio
mea. Unde Augustinus de verbis domini xxxvj. super illud. Vigilate et ora-
ne intrare in tempus dicit. Orandum est in tribulatione ne incidamus
in temptationem. Nichil autem est in temptationem intrare nisi a fide
exire. in tantum enim temptatio perficit. in quantum fides deficit. Et
Notandum igitur quod est fides modica. Matthei xiiij. Modice fidei
quare dubitasti. Et est fides magna. Ibidem xv. O mulier
magna est fides tua. fiat tibi sicut peti. Et est fides maxima
unde Matthei x. Non inveni tantam fidem in israel. Quod tamen intelli-
gitur respective. Et est fides summa. Matthei viij. Habete fidem dei.
Amen dico vobis quia quicumque dixerit monti huic tollere
et mittere in mare. Unde orandum est ne fides deficiat
et ut fides perficiat. et ut augeatur et perficiatur. Augustinus
ibidem. Est fides modica. est fides magna. Nam si
nulla esset fides quis ecclesiam intraret quam plenam videmus
fidelibus. Et si non esset fides nisi maxima. quis montes
non transferret. Et. De pietate igitur fidei et iniuriatione intellectus
quod est primum fidei. quam ambo. scilicet fides et intellectus dirigunt
orationem ad rectitudinem. statim subiungit. d. Equitas

Equitas testimonia tua meditatio

Sicut predictum est. commendat pietatem fidei que ad
rectitudinem dirigit orationem et castigationem in tribulatione
dicens. Equitas testimonii tui meditatio. quia dicit. Iste mandata
tua. id est obedientia mandatorum tuorum est meditatio mea. id est

mentalis exercitatio in tribulatione quia per fidei pietatem
credo scio et teneo tuorum testimoniorum. id est promissionum equita-
tem que equitas consideratam dirigit me circa rectitudinem
orationis in tempore tribulationis quia ante orationem pro tribulatione
orandum est per ipsam orandi gratiam impetranda. ut digne
et utiliter oretur. sicut dicit ecclesiastici xviij. Ante orationem prepara
animam tuam et noli esse sicut vir qui deum temptat. Et. De
digna et utili oratione in tribulatione. Regum secundum litteram vj.
v. iiij. Equitas testimonia id est promissa tua. scilicet
mea consolatione et revelatione in tribulatione sunt equa et iusta
et quia tribulatio est mors vite. in vita presenti. quia quot tribula-
tiones tot mortes. Psalmus. propter te mortificamur tota die
et. Ideo dicam intellectum post fidem tamquam fidei primum
ad cognoscendum equitatem testimoniorum id est promissionum tuorum
et tunc vivam. scilicet vita spei et consolationis in tribulatione. Notandum
igitur quod ista equitas divina adequat quantitatem in tempore et
qualitatem tribulationis et consolationis sive revelationis
ad tria. scilicet ad debitum esse ad vires patientie. et ad meritum
gratie. Primo igitur adequat ad debitum esse. quia secundum quantitatem
et qualitatem in tempore cause propter quam deus tribulationem
immittit vel permittit mensuratur quantitas et qualitas
in tempore tribulationis et pene. De quantitate dicit Apostolus xviij
Quantum glorificavit se homo et in diliciis fuit. tantum date
illi de tormento et iudicium j. Sicut feci ita reddidit
mihi dominus. De tempore dicit Danielis iiij. Septem tempora mutabuntur
super te donec scias quod deus excelsus dominetur super regnum
hominum et. Iste septenarius penitentie est perfectio humilitatis
usque ad recognitionem vel perfectio retributionis usque ad
satisfactionem. Psalmus. Usque quo domine obliviscaris me in finem
usque quo exaltabitur inimicus meus super me et. Unde
in Daniel distulit orationem per captivitatem usque dum intel-
lexit ex prophetia Jeremie. completos esse lxx. annos deso-
lationis Jerusalem sicut dicit Danielis ix. Sed ad vires patientie
Job vj. Neque enim fortitudo lapidum fortitudo mea. neque
caro mea enea est. j. Corinthiorum x. Non patietur vos deus
temptari ultra id quod potestis sed faciet cum temptatione

Equitas divina